

»...Magnae auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere.

1.3.37

Idem (Paulus) libro primo quaestionum

Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo iure civitas retro in eiusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpretatio consuetudo.

1.3.38

Callistratus libro primo quaestionum

Nam imperator noster Severus rescripsit in ambiguitatibus quae ex legibus proficiscuntur consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis optinere debere.

1.3.39

Celsus libro 23 digestorum

Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine optentum est, in aliis similibus non optinet.

1.3.40

Modestinus libro secundo regularum

Ergo omne ius aut consensus fecit aut necessitas constituit aut firmavit consuetudo.

1.3.41

Ulpianus libro secundo institutionum

Totum autem ius constitit aut in acquirendo aut in conservando aut in minuendo: aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cuiusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel ius suum conservet, aut quomodo alienet aut admittat.

1.4.0. DE CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM.

1.4.1

Ulpianus libro primo institutionum

pr. Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum lege regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat.

1. Quodcumque igitur imperator per

1. Quodcumque igitur imperator per epistolam et subscriptionem statuit vel cognoscens decrevit vel de plano interlocutus est vel edicto praecepit, legem esse constat. Haec sunt quas volgo constitutiones appellamus.

2. Plane ex his quaedam sunt personales nec ad exemplum trahuntur: nam quae princeps alicui ob merita indulget vel si quam poenam irrogavit vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.

1.4.2

Ulpianus libro quarto fideicommissorum

In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est.

1.4.3

Iavolenus libro 13 epistularum

Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.

1.4.4

Modestinus libro secundo excusationum

Ahi metagenesterai diataceis isxuroterai tw n pro autwn eisin .

1.5.0. DE STATU HOMINUM.

1.5.1

Gaius libro primo institutionum

Omne ius quo utimur vel ad personas pertinet vel ad res vel ad actiones.

1.5.2

Hermogenianus libro primo iuris epitomarum

Cum igitur hominum causa omne ius constitutum sit, primo de personarum statu ac post de ceteris, ordinem edicti perpetui secuti et his proximos atque coniunctos applicantes titulos ut res patitur, dicemus.

1.5.3

Gaius libro primo institutionum

Summa itaque de iure personarum divisio haec est, quod omnes homines aut liberi sunt aut servi.

1.5.4

Florentinus libro nono institutionum

pr. Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur.

1. Servitus est co...«